72



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA*,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ Septimâ menſis Novembris, anno Domini M. DCC. LXXXV.

D. HENRICO MICHAELE MISSA, Regii Medicorum Collegii Nanceianorum Socio Honorario, antiquo Regis Exercituum in Germaniâ Medico ordinario, Cenſore Regio, Academiæ Catalaunenſis Socio, Doctore Medico, Præſide.

An Hydropi Venæ Sectio?

I.

HUMANUM corpus liquidis componitur & ſolidis, quæ inter datur æquilibrium. Sanitas ſtat alterno, continuo peſſundatur. In hoc quaſi immobile corpus ab omni ferè ceſſat functione. In illo liquida movent & vincunt ſolida, & à ſolidis ſuâ vice moventur, vincuntur. A liquidis dilatantur vaſa, dilatata ſe ſe conſtringunt, ſicque liquida urgent, impellunt. Hinc perennis liquidorum in corpore circuitio, ipſorum ſu-

* Propugnavit, anno 1714. ...ancifcus BAILLY, Alexio LITTRE, Præſide.

bactio; elaboratio jugis; continua in singulas partes distributio; indesinens percolatio excrementorum; & optata cunctarum partium nutritio, incrementum. Omnium quibus vivimus partium nullæ nutritiis ferè pretiosiores. Ut illarum laudabilem constitutionem sanitas sequitur; sic earumdem vitiosam mille ægritudines. Hinc cæterarum totius corporis partium morbi à pravis & excrementitiis partium nutritiarum humoribus ducunt originem, quos inter hydropem recense, morbum curatu difficilem, & magno sæpè periculo plenum.

I I.

HYDROPEM voca serosi humoris in quavis corporis parte collectionem. Pro vario humoris collecti situ, varia sortitur nomina. Si totum corpus occupat, Leucophlegmatia, vel Anasarca nuncupatur; Hydrocephalus, si caput; si pectus, ipsius pectoris hydrops; Ascites, si abdomen; si scrotum, hydrocele. Quòd si flatibus distendatur abdomen, adeò ut percussum tympani sonum edat, Tympanites appellatur: hæcque inter hydropes impropriè ab Autoribus adnumeratur. Communis omnibus causa subest, frustratum apparandi, conficiendi, vel repurgandi sanguinis opus; undè visceerum penè omnium infarctus, ex quo seri à sanguine separatio, ejusque aliquâ in parte collectio. Aliam incassùm inquisiveris causam præter vitiosam sanguinis constitutionem, laxatumque, vel renitentem solidarum partium elaterem. Vis igitur hydropem sanare præsentem, imminentem præcavere? talia adhibeas remedia quæ liquidorum motum promovere, solidorum elaterem firmiorem laxare, laxiorem verò firmare valeant.

I I I.

TANTA requiritur solidorum, & fluidorum necessitudo, & convenientia, ut mirum non sit cur uno deficiente alterum deficiat. Sanguis spirituosus ille liquor ab indole genuinâ descisсens, corruptâ subhinc onustus saburrâ, lento pede vasa dum permeat, quodcumque malum invehere potest. Quidni! & hydropem accersere. Quocumque enim pergit, funestam itineris notam inurit. Præ suâ malâ diathesi innumeris cùm scateat impuritatibus, viscidiores, & crassiores ipsius partes liberam circuitûs viam liquoribus præcludunt. Hæ paulatim aggeruntur, & aggestæ, vasa quàm plurimis infarciunt obstructionibus. Undè hærens in circuitu sanguis, novusque semper appellens, vasorum distendit tunicas, earumque magis ac magis dilatat meatus. Hi sensim ac sensim dilatati serum effluere sinunt. Id experientiâ confirmari videtur. Ligatâ siquidem canis venâ infra præcordia, abdomen quasi ascite laboraret, humore aqueo brevì repletum observatur. Tunicæ quoque Lymphaticorum cum tunicis

Venarum sint longè tenuiores, seri effusioni ac collectioni ansam præbere possunt, suorum pororum dilatatione, sed & præterea suâ ruptione. Rem experientia probat, extracti scilicet humoris igni admotialbuminis ovi consistentiam acquirentis indagine. Tandem sanguis crassus aut viscidus glandulas difficilè permeans in iis sensim colligitur, stagnat, eas intumefacit, ipsarumque excretorios ductus distendit, amplificat. Hinc seri à sanguine uberior secretio, éjusdemque seri è vasis effusio, ac tandem hydropis generatio. Quamobrem proprio vehiculo orbatus sanguis, partes ægrè pervadit, hisque nutritium vix impertitur succum; undè universi corporis macies, siccitas, debilitas.

I V.

MAGNORUM morborum aut ingruentium, aut jam sævientium, præstans remedium est Venæ sectio, eòque præstantius excellentiusque, quò tutiori expeditiorique viâ omnia fere corporis vitia rescindit. Hac datâ portâ luxurians toto corpore sanguis convenienter emittitur. Ocyùs ardentem materiem subtrahe, carbones remove, spontè restinguetur incendium. Idem celebratâ Venæ sectione corporis humani humoribus evenit. Eductâ quippe sanguinis propriè dicti parte, minor fermentationi, effervescentiæ, obstructioni, infarctui, &c. datur locus. Restitutâ circuitionis celeritate, quanti quanti sunt humores, eandem choream sequi coguntur. In hydrope vires opprimit ac veluti vinctas tenet crassus & viscidus humor viscerum ergastulis coercitus (cujus sub pondere fatiscit corpus) systalticus dilatationis & constrictionis vasorum motus depravatur: ipsorum fibræ motrices fungi officio ferè inhabiles evadunt, sed incisâ venâ non raro aperitur ad magnam libertatem via, & temporis puncto spes salutis affulget.

V.

HYDROPI ita necessaria est Venæ sectio, ut nefas sit illam omittere. Revera præcipuus curationis cardo positus est in fibrarum elatere, & liquorum fluxilitate restituendis; ut vinci possit & superari sanguiuis impedimentum; ut pertinaces tollantur obstructiones, sanguinis circuitus feliciùs peragatur, ac tandem functiones in pristinum statum reducantur. Hæc omnia idoneâ sanguinis missione assequeris. Nec est quod objiciant nonnulli in hydrope venam secare idem esse ac jugulare. Redundans (quis crederet?) sanguis id efficit sæpissimè. Qui hoc morbo laborarunt, ferè omnes ore, naribus, &c. sanguinem emisere. Succedit plerumque catameniis & hæmorrhoidibus suppressis. Denique sanguinis grumos ac concretiones in hydropicorum cadavere reperire nihil usitatius. His omnibus cùm sanandis, tùm præcavendis congruum Venæ

ſectio remedium. Præterea eâdem Venæ ſectione impurior circa viſcera reſtagnans, & evaſata illuvies vaſa denuò ſubit, cum ſanguine foras exitura, vel tranſcolanda per glandulas, vel per cutis meatus tandem vacuanda. Dolores inſuper ſedat Venæ ſectio, corpus erigit pondere gravatum; erectum, alacrius expeditiuſque reddit ad omnis generis functiones obeundas.

Ergo hydropi Venæ ſectio.

Propugnantis annotatio. Inclyti Doctoris LITTRE Propoſitio quùm ſenſum includat nimis generalem, videtur nobis diſtinguenda hydrops à diſſolutione ſanguinis ortum ducens, quæquidem phlebotomiæ adverſatur, ab eâ quam efficiunt ſpaſmus, plethora & erethiſmus; ubi Littrii ſententiæ adſtipulamur.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Ludovicus-Cyprianus DE MONTAIGU.

M. Philippus PETIT-RADEL.

M. Renatus LOUICHE DESFONTAINES.

M. Nicolaus-Franciſcus LAVERNE.

M. Petrus PUJO.

M. Antonius-Joſephus-Victor LENDORMY-LAUÇOUR.

M. Antonius-Joannes-Baptiſta-Maclovius GUENET.

M. Paulus-Gabriel LE PREUX.

M. Ludovicus-Claudius GUILBERT, è Societate Medicâ Edimburgenſi, antiquus Regis Exercituum Medicus ordinarius.

Proponebat Pariſiis FRANCISCUS-GASPARDUS DIDERON, Valentinus in Delphinatu, Doctor Medicus Valentinenſis, nec-non Saluberrimæ, Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus. A. R. S. H. 1785.

AB OCTAVA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Saluberrimæ Facultatis, Medicinæ Pariſienſis Typographi.